

Certamen Turicense II: Ansprache von Peter Stotz

Karissimi — sic enim praedicatores ecclesiastici medii aevi tempore fideles consalutare solebant — karissimi, vos alloqui velim paucis latinis verbis eisque medii aevi more prolatis, quippe qui illae Ciceronis eloquentiae, qua nostri philologi classici pollent, minus peritus sim. Id faciens ea fiducia fretus sum, qua homines, qui eis temporibus lingua Latina utebantur, prout poterant, magis eius utilitatem perpendentes quam elegantiae studentes.

Re vera lingua Latina non modo antiquis temporibus in partibus occidentalibus imperii Romani in usu erat, sed etiam sequentibus saeculis, hoc est saeculis medii aevi et renascentium litterarum, in omnibus fere Europae regionibus, a viris doctis dumtaxat, fovebatur. Inde est quod etiam Turici et in pago Turicensi scriptores rerum gestarum et poetae, immo scribae et tabelliones, qui documenta iuridica conficiebant, nedum viri ecclesiastici, paene omnia, quae litteris mandanda erant, lingua Latina absolvebant. Lingua ergo Latina nobis quoque proxima est utriusque respectu: et regionis et temporis.

Hodie legistis necnon in linguam theotiscam convertistis seu interpretati estis historiunculam a Rudolfo Selestadiensi traditam, qua quaedam narrantur, quae saeculo tertio decimo in urbe nostra gesta sunt — aut certe: gesta esse putantur. Spero vos omnes inde non modicam delectationem habuisse et gratulor vobis de munere bene absoluto.

Sed convenit me nunc nomina victorum victricumque huius certaminis edicere: Palmam victoriae adipisci dignam duximus domicellam Brunam Rohling. Secundo loco posuimus domicellam Gabrielam Waldegg. Tertium locum domicello Khalid Masood assignandum esse duximus. Insequuntur quarto loco ex aequo domicellus Nicolaus Diener, domicella Francesca Meyer domicellusque Erik Hasselberg.

Plaudamus omnes in honorem eorum, qui vicerunt, sed liceat mihi vobis omnibus maximas laudes dicere et gratias agere. Dixi.